



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Cur Euæ dolores partûs decreti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

C A P V T XXXIX.

A prole matri, in utero & partu, cur dolor veniat? à quo purissima Dei Mater, exempta fuit.

Huius Cæsar olim, villam à fundamentis inchoatam, quia non tota ad animum ei responderat, diruit. Ita multæ mulieres inchoatos partus destruunt, quia eis non placet, quòd, crescente partu, crescere molestias vteri experiantur. Has molestias, & ipsos etiam partus dolores, quæ detrectant, ferre, ipsum iudicem summum, indictâ causâ, damnant. Facile enim Deus justam habuisse causam, ostendi potest, quando dixit: *Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Participes communis culpæ, fas est & poenam communem pati. Dolet sæpe pueris ventor, ex pomorum aliorumque fructuum intemperato esu: cur Eva, quæ verito pomum intemperatissimè inhiauit, inde ventris dolores non meruisset? Iure, post pomum illud, cepas edere cogitur.

Quamquam & alijs de causis gráuidæ mulieres molestiâ vexantur. Vt enim de causis naturalibus taceam; tamen naturæ author non rarò eiusmodi cruciatibus aliud destinat. Deprecatus est Isaac Dominum, pro uxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebecca: Sed collidebantur in utero eius parvuli; quæ ait: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexit quæ, ut consulere Dominum. Qui respondens ait: Dua gentes sunt in utero tuo; & duo populi ex ventre tuo dividuntur, &c.* Duo igitur hi pueri, Iacob & Esau, in utero matris, collidebantur, aut, ut S. Hieronymus legit, *calcitrabant*, vel, ut Symmachus vertit; *colluctabantur*, cum haud exiguo matris cruciatu, dum vterque gestijt, prior exire, ut primogenitus esset. Quæ parvulorum lucta, non vi naturæ, sed Dei nutu facta est, in prælagium conceptationis, pro primogenitura, inter Esau & Iacob, futura. Vbi Rupertus, more suo, elegantè ait: *Vriusque habitus ostendit, quis intus fuerit princeps duelli, videlicet Esau, collisus à Iacob, quasi fugere videtur; usq; manu tenens pedem insequentis, ac terga devicta pulsantis, scHEMA præfert; additque, allegoricè, hac lucta Iacob & Esau, Christia-*

Sueton. in Cæf.

Gen. 3. 16.

II.

Gen. 25. 27.